UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Theologia Scholastica

Quinque Tomis Comprehensa ... ; Cum Triplici Indice

De Deo Atque De Ejus Possessione Cum Triplici Indice

Ulloa, Joannes de

Augustae Vindelicorum [u.a.], 1719

Caput V. Duæ rationes conclusionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-81382

Visual Library

ipso difficultatis offendunt ad hanc æquivocationem *mediationis*, &, *proximitatis*: Confundunt enim proximitatem, ac partialitatem virtutis, nos autem hanc defendimus, illam repudiamus in sensu nuper expositò, quod legisse poterant isti authores apud Suarez lib. 6. de gratia cap. 7. Quare non dico absolutè, potentiam naturalem habere ingenitam sibi virtutem proximam & immediatam, seù terminativè absolutam ad actum supernaturalem; nam hoc sonat virtutem per se sufficientem, & nullo alio comprincipio altioris ordinis indigentem, quæ species virtutis certissimè non inest intellectui soli. Dico verò potentiam naturalem habere virtutem proximam, & immediatam ad actum supernaturalem, supposito comprincipio supernaturali coadjuvante, & elevante, quatenus hôc potentiæ naturali inhærente, dantur duæ virtutes partiales, & inadæquatæ, una identificata cum potentia naturali, & vocatur *obedientialis*, altera cum principio illo supernaturali, & ex utraquè coalescit virtus integra, plena, proxima, & totalis.

CAPUT V.

Duæ rationes conclusionis.

XXXIV. CConclusio sic explicata, & sic etiam intellecta probatur duplici ratione: unâ positivâ, & cui respondere debent adversarii; alterâ negativâ, & quam debent impugnare. Potentia naturalis verè influit verè agit, verè & simpliciter causat actus supernaturales, vitales, & meritorios: Ergo habet virtutem sibi congenitam, saltem partialem, & inadæquatam, quæ adveniente comprincipio supernaturali reddatur proxima, adæquata, & completa ad actus illos, & quæ virtus vocari solet obedientialis, quia cum sit entitativè naturalis, est terminativè adæquatè supernaturalis. Antecedens negasse videntur Thomistæ illi, quorum verba fideliter transcripta leges apud Oviedo & quidem argumenta, quibus M. Alvares sententiam suæ scholæ tueri conatur, falsitatem illius antecedentis probare videntur; sed revera illos non negasse illud antecedens benè ostendit idem Oviedo ibidem n. 13. & meritò quidem, tum quia, ut ipse Godoy agnoscit, manifestè colligitur ex sacra Doctrina. In Concilio enim Tridentino: Habemus has tres veritates. Primò hominem cooperari gratiæ divinæ. Secundò hominem ipsum aliquid agere in negotio suæ salutis. Tertiò. Liberum arbitrium non se habere merè passivè. Sed hæc subsistere non possunt, quin homo vere & simpliciter causet, verè, & simpliciter agat suos actus supernaturales. Ergo verè, ac simpliciter illos agit. Præterea firmatur solidis duabus rationibus illud idem antecedens, unà desumpta ex eo quod prædictæ potentiæ naturales vivant in actu secundo, dum eliciunt actum supernaturalem, aut charitatis, aut visionis beatificæ; alterâ ex eo, quod verè ac simpliciter mereatur voluntas apud DEUM. Quando elicit actum charitatis, & cæteros actus supernaturales liberos. Vivere autem in actu secundo, mereri, & nihil prorsus verè, ac simpliciter agere, videtur durum.

Godoy tom. 1. p. fol. 433 Sess. 6. cap. 3. can. 4.

P. Oviedo Controv. 2. de Beat. n. 9.

XXXV. Hac de causa concedens Godoy istud antecedens, irridet consequentiam, dicens esse similem huic. *Est animal; ergo est homo*, quoniam sicut animal latius patet, quam homo, ita influere, agere, & efficere latius patet, quam influere, seù concurrere per virtutem proximam, & partialem, quia influere, seù agere abstrahit ab hoc, quod est agere mediatè, vel immediatè, agere per propriam virtutem & agere per virtutem supernaturalem sibi appropriatam, agere immediatè immediatione potentiæ, & immediatione virtutis, influere per modum potentiæ elevatæ, & secundum coaptationem essentialem, vel secundum essentiam potentiæ, ac influere aliter, influere ut quod, & influere ut quo, influere instar principii materialis, & influere instar principii formalis, instar principii remoti vel radicalis, vel instar principii formalis (tres ultimas divisiones ipse præteriit, sed non præterierunt alii suæ scholæ) primas illas divisiones aspergit toti huic disputationi, repetens potentiam naturalem esse causam partialem seù partem causæ operationis supernaturalis, non tamen esse virtutem proximam adhuc partialem, seù partem virtutis

tutis proximæ. Authores isti utuntur terminis, quibus videntur rem totam concedere, sed postea totam rem negant; Undè facilè decipietur, qui voces illas non calluerit. Imprimis, si vox illa *virtus proxima, & immediata* significat rem per se determinatam ad operationem supernaturalem, frustra laborat ille Doctor, quia certum est nullam potentiam naturalem esse per se ab intrinseco determinatam ad actum supernaturalem, sicut lumen gloriæ est per se ab intrinseco determinatum ad visionem beatificam. Cæterum cum nec habitus infusus charitatis, aut fidei, nec gratia ipsa auxilians sit per se ab intrinseco determinata ad actum charitatis fidei, consensusvè salutaris, quandoquidem sæpissimè existunt in homine, quin actus illi fiant, oportebit dicere habitum charitatis non esse virtutem proximam adæquatam agendi actum charitatis, & idem de aliis, quod tamen falsum est.

XXXVI. Quamobrem si difficultas detorqueatur ad hunc sensum, quæstionem facimus vocalem, & nos concedentes vobis potentiam naturalem non esse in hoc sensu virtutem proximam ad actum supernaturalem, insurgimus sic, realitati ipsi inhærentes. Imprimis agere per modum potentiæ & agere per modum virtutis, quæ contrapositio est Adversariis magnum subsidium, non contraponuntur invicem: Quoniam intellectus, & voluntas utrovis modo influunt in suos actus naturales: intellectus quippè est potentia & simul virtus productiva intellectionis naturalis, sicut voluntas est potentia, & per vos unica virtus productiva amoris; Ergò immerito contraponitis operari *per modum potentiæ*, & operari *per modum virtutis*: Secundò potentiam naturalem agere, seù influere per modum potentiæ, per modum causæ, per modum principii *quod*, secus per modum virtutis, seù principii *quo*, tandem tandem consistit, excusso terminorum pulvere, in eo, quod res quædam, nimirum lumen gloriæ, habitus charitatis, gratia auxilians, adæquatè distincta à potentia naturali, & ipsi neutiquam debita, & ab ea non dimanans physicè, sit, quæ immediatè physicè agit actum supernaturalem, eo modo quo res quædam, nimirum lux distincta ab aëre, ipsi non debita, & ab ipso non producta physicè, est, quæ illuminat alium aërem. Et eo modo, quo res quædam, nimirum calor, distincta ab aqua, & aquæ non debita, & ab aqua non dimanans, est, quæ calefacit manum.

XXXVII. Sed hoc non sufficit, ut voluntas v.g. verè & simpliciter agat salutarem consensum, actum charitatis: nec ut intellectus verè, & simpliciter agat visionem beatificam, ita ut ambæ potentiæ verè physice vivant in actu secundo per eos actus, & eis formaliter immediatè moveant se ab intrinseco; ergo istæ distinctiones impares videntur salvando Catholicam doctrinam, qua instruimur, hominem non se habere merè passivè in his negotiis, & cooperari gratiæ DEI: Respondet Godoy Disp: 140. gratiam non esse causam adæquatam, & idem de aliis, quia extrà voluntatem existens consensum salutarem operari nequit; Undè voluntas etiam est causa illius consensus, & consequenter salvatur catholica doctrina. Contrà primo. Nec Lutherus, nec sua proles negabant hoc: quia nuspiam dixerunt, gratiam extrà voluntatem existentem posse operari nostrum consensum salutarem; & damnantur ab Ecclesia, quia, nisi aliquid plus addatur, subsistet voluntatem nostram se habere merè passivè, & neutiquam cooperari gratiæ DEI; Ergò gratiam non posse operari consensum nostrum extra voluntatem, non sufficit, ut hæc verè, & simpliciter cooperetur gratiæ, nec sufficit ad vitandum, quod voluntas merè passivè se habeat, sicut aqua in ordine ad calefaciendum, & aër ad illuminandum. Secundo etiam lux, & calor extrà subjectum existentia nequeunt producere aliam lucem & calorem, nempè quia nequeunt existere extra omne subjectum, utpotè accidentia ex natura sua inhærentia alicui subjecto.

XXXVIII. Et tamen hoc non sufficit, ut aër v.g. in quo recipitur Lux, & aqua, in qua recipitur calor, verè, & simpliciter producant modo vitali sive per modum virtutis, sive per modum potentiæ lucem aliam, vel alium calorem, nisi

nisi solum denominativè, atquè impropriè: Ergo, quod gratia, lumen gloriæ, habitusve charitatis utpotè accidentia supernaturalia, ex se cohærentia alicui naturali, nequeant extrà hanc quidquam producere, insufficiens est, ut potentia naturalis, accidentia ista in se sustentans, verè, & simpliciter modo vitali producat per modum potentiæ salutarem consensum, aut visionem beatam: nempè quia accidentia ista supernaturalia, esse accidentia, & ex natura sua nequire existere extrà omne subjectum (in quo solo stat, quod nec consensum salutarem possit producere extrà voluntatem: nec visionem beatam extrà intellectum) ex nullo titulo arguit potentias has naturales verè, & simpliciter agere eas suas operationes: Quapropter juxtà hos authores habebimus voluntatem non aliter converti ad Deum, diligere Deum, &c. & intellectum non aliter videre DEUM, quam aër, in quo est Lux, illuminat aliam portionem aëris. Et sicut Lux assistens sed non informans aërem, eo quod Deus miraculosè conservet illam sine unione cum ullo subjecto, poterat producere aliam lucem in subjecto capaci, secus in incapace: Itâ gratia, habitus charitatis, lumen gloriæ, quæ modo sunt in homine A, casu quo Deus miraculosè conservaret illa sine unione cum Anima, (modò ei assisterent) Item casu quo ponerentur in homine B, aut in Angelo, possent influere in actum supernaturalem dictum, si semel datur quod sint tota virtus, & tota ratio agendi actus illos, sicut influit Omnipotentia absque unione cum Anima; solumquè est disparitas ad rem præsentem inter Omnipotentiam, & illa accidentia supernaturalia: quod nullum est miraculum, Omnipotentiam esse principium purè assistens, id est non unitum animæ; foret autem miraculum, quod accidentia illa purè assisterent.

XXXIX. Undè præoccupata manet solutio alia authoris ejusdem, dicentis lucem, & calorem posse operari, quamvis non informent dicta subjecta. Principium autem supernaturale non posse producere actum supernaturalem, nisi in potentia naturali. Etenim, vel loquimur de productione in subjecto capaci, vel incapaci: Si primum, sicut Lux, & calor possunt producere lucem, & calorem in subjecto capaci, tametsi à Deo conservarentur extra hoc subjectum, cui modò inhærent, eo quia ponerentur in alio, vel extra omne subjectum: ita gratia, habitus charitatis, & lumen gloriæ possent producere actum supernaturalem in subjecto capaci, tametsi à Deo conservarentur miraculosè sinè unione ad subjectum ullum, vel ponerentur in homine B, quæ modo sunt in homine A. Si secundum, quemadmodum hæc accidentia supernaturalia nequeunt producere suos actus in lapide, vel aëre, quia hæc sunt subjecta incapacia actus charitatis, visionis beatificæ, &c. itâ nequè Lux neque calor possunt naturaliter producere lucem, vel calorem in Angelo, in Anima rationali, & in aliis incapacibus subjectis. Utriuslibet autem ratio est, quia merâ incapacitas subjecti non impedit gratiam v. g. esse totam, & unicam virtutem productivam salutaris consensus juxtà vestra principia: & quidem nec anima ipsa, nec complexum ex illa, & gratiâ, potest eum consensum producere in hac papyro, & tamen per vos est causa illius consensus; Ergò impotentia operandi in alio subjecto non satisfacit rei præsenti.

XL. Jam ratio pro his omnibus est. Optimè dicitur animam esse causam suorum actuum supernaturalium; illos agere, in illos influere. Hoc est definitum in Concilio Trid. suprà cit. & tam longe distamus ab hoc negando, ut hinc potius sumamus argumentum contrà vos. Nempè hoc, quod est de Fide non fore verum, si sententia vestra vera foret, undè concludimus, quod unis verbis destrui videtur illud idem, quod aliis asseritur: id est, dicentes principium supernaturale esse totam virtutem agendi actum supernaturalem, ita ut potentia naturalis nullam penitus habeat secum identificatam virtutem adhuc obedientialem, & incompletam ad influendum immediatè in actum supernaturalem, casu quo elevetur, & adjuvetur per comprincipium supernaturale gratiosè donatum à Deo: Hoc inquam dicen-

dicentes, aliam propositionem, quam fateri debetis, videmini destruere: nimirum potentiam naturalem verè, & simpliciter, & non tantum vocaliter agere actum supernaturalem, quo vivit, quo meretur, quo videt DEUM: Nam quid est agere per modum virtutis per modum principii *quo*, in quo stat totum vestrum negotium? Vel enim est agere tanquam quid per se determinatum ad talem operationem, & in hoc sensu jam adverti neminem contendere potentiam naturalem esse virtutem ad actum supernaturalem, undè fingitis hostem, quem debelletis; sed si iste sensus foret legitimus, sequeretur omnipotentiam divinam non esse virtutem operativam ullius creaturæ, cum non sit per se ab intrinseco determinata ad creaturam ullam producendam. Item sequeretur nec voluntatem ipsam esse virtutem productivam suorum actuum naturalium, liberorum, siquidem eo ipso, quod sint liberi, ad illos non est suaptè natura determinata voluntas. Vel est agere instar regulæ ad dignoscendum naturalitatem, & supernaturalitatem, siquidem hujus supernaturalitatem non agnoscimus ex potentia naturali, sed ex eo, quod prærequirat principium supernaturale, vel demum est agere tanquam quid præcontinens adæquatè aut saltem inadæquatè actum supernaturalem. Et in hoc sensu dicimus, quod si potentia naturalis non habet secum identificatam ullam prorsus virtutem productivam effectus supernaturalis, sequitur in præsenti materia, quod non agit verè, ac simpliciter ullo sensu vero actum supernaturalem, nec cooperatur gratiæ DEI, sed hæc sola aget opera salutaria, & anima, vel voluntas erit simplex testis operationum harum.

XLI. Quod sic probatur. Non restat alius modus agendi, seù influendi verè, & simpliciter per modum causæ, nisi quatenus illud, quod dicitur causa identificetur cum virtute adæquata, aut saltem inadæquata productiva effectus, ut Omnipotentia identificatur, quæ per se, & ex se est adæquata virtus, seù fœcunditas ad infinitos effectus, & potentia visiva, quæ identificatur cum virtute inadæquata ad visionem, quæ virtus fit adæquata per speciem impressam objecti: Vel quatenus res constituatur per principium illud, quod producit effectum, ut homo, qui dicitur irasci, discere, &c. eo quod intrinsecè constituatur per animam, quæ facit hæc immediatè, & per se aut per suas potentias superadditas. Vel quatenus res producat principium illud, seù virtutem, undè immediatè nascitur effectus, ut substantia animæ dicitur producere suos actus vitales eo, quod isti immediatè prodeant à potentiis, quæ dicuntur nasci ab anima per naturalem resultantiam, juxtà sententiam illas distinguentem ab anima; Vel quatenus rei debeatur principium illud, seù virtus immediatè productiva, ut substantiæ ignis debetur calor, qui ab aliquibus dicitur virtus immediatè productiva alius ignis.

XLII. Vel demum quatenus res B accipiat ab A facultatem aliquam physicam, aut moralem, vi cujus propriè, ac sine metaphora dici potest, quod operatur nomine, ac virtute rei A, & tanquam ipsius substitutum, eo modo quo Regius Minister accipit facultatem à suo principe consistentem inadæquatè in volitione illa, qua Princeps vult actiones sui ministri in tali determinata materia pollere eodem vigore, ac si ab ipso Principe fierent immediatè, physicè ut reipsa fieri poterant; non enim potest Princeps dare facultatem Legato suo, ut faciat illud, quod ipse Princeps ex sua essentia facere nequit, alias cur Principes non assignant Ministros, qui vice, ac nomine ipsorum, & tanquam eorundem substituti causent opportunas pluvias: Ergo quidquid nullo ex his modis potest agere actum supernaturalem non potest verè, & simpliciter agere illum, nisi impropriè eo modo, quo aqua per accidens habens calorem calefacit, & eo modo, quo aër per accidens habens lucem illuminat tanquam merum vehiculum lucis: At si potentiæ naturales nullam penitus habent secum identificatam virtutem adhuc partialem, & inadæquatam ad actus supernaturales, nullo ex illis modis possunt illum producere, ut deprehendet quisquis illos singillatim expendat; Ergo si potentiæ naturales nullam penitus habent secum identifi-

tificatam virtutem adhuc partialem, & inadæquatam ad actus ſupernaturales, non aliter producent hos, niſi eo modo, quo aqua calefacta producit calorem, & aër lucidus lucem. Quomodo ergo ſubſiſtit, quod homo cooperatur gratiæ DEI, quod non ſe habet merè paſſivè in negotio ſuæ ſalutis, quod verè, & ſimpliciter amat, videt DEUM, &c. Hic eſt diſcurſus, quo noſtri refellunt ſententiam contrariam, ſed quia aliquas ex his propoſitionibus præteribant, quia eas ſupponebant notas adverſariis, hac de cauſa ſprevit Godoy enthymema illud, ſubintelligere nolens, quod in eo ſupponebatur: oportet, in diſputando non ſupponere res, ſed manifeſte explicare illas, quia ſæpiſſimè adverſarius vel non intelligit illas, vel intellexiſſe diſſimulat.

XLIII. Secunda ratio negativa eſt. Naturam habere ſibi congenitam virtutem inadæquatam, quæ obedientialis ſuevit dici, ad actum ſupernaturalem, non officit ſupernaturalitati hujus. Probatur primo. Eo ipſo, quod tota natura nequeat ſe ſola actum illum aliàs contingentem elicere, v. g. viſionem beatificam, ille eſt ſupernaturalis; ſed ex eo, quod natura habeat virtutem dictam, non ſequitur naturam poſſe ſe ſola illum elicere. Probatur. Eo ipſo, quod indiſpenſabiliter deſideretur comprincipium ſupernaturale ad eliciendum actum illum, natura ſe ſolâ nequit illum elicere; ſed ex eo, quod natura habeat prædictam virtutem, non ſequitur non deſiderari indiſpenſabiliter illud comprincipium, nam ſolum ſequeretur hoc ex eo, quod prædicta virtus foret plena totalis, & adæquata, qualis non eſt, vel ex eo, quod ea virtus redderet ſibi debitum illud comprincipium, eo quod ſit continentia perfecta, quiâ eſt continentia in actu, ut loquuntur adverſarii; ſed hoc dicitur voluntariè, quia non omni parti alicujus complexi debetur altera compars, alioquin Petro portanti lapidem ingentem ſimul cum altero bajulo eſſet debitum conſortium alterius bajuli, & naturæ, quæ per ſe eſt pars cauſæ adæquatæ ad actum ſupernaturalem, deberetur gratia, quæ per te etiam eſt altera compars: Ergo, &c. nequè illud de continentia perfecta, & in actu auget rem, quiâ ſolum eſt perfecta, & in actu, perfectione, & actualitate merè partiali & inadæquata. Secundo. Perfectio effectus non definitur, aut taxatur per perfectionem ſolius virtutis inadæquatæ, ut paſſim occurrit, quinimmò nec virtutis adæquatæ juxtà adverſarios, docentes accidentia eſſe virtutem proximam, & adæquatè productivam ſubſtantiæ, cum tamen certum ſit calorem v.g. eſſe entitativè imperfectiorem quam ignem; Ergo ſtat benè rem entitativè imperfectiorem eſſe virtutem ſaltem inadæquatam ad rem entitativè perfectiorem; Ergo ex eo, quod naturalia ſint minus perfecta quam ſupernaturalia, non bene arguitur, illa non eſſe virtutem ſaltem inadæquatam ad hæc. Sic ſpecies impreſſa, quæ imperfectior eſt primâ cognitione vitali, eſt virtus inadæquata ad hanc producendam: ſic phantasma materiale, quod imperfectius eſt cognitione ſpirituali eſt virtus inadæquata ad hanc; ſic ſpecies corporea, quæ imperfectior eſt viſione materiali objecti, eſt virtus inadæquata concurrens ſimul cum potentia viſiva ad eam viſionem materialem, quorum omnium ratio eſt, quiâ effectus non accipit, ſed ſemi-accipit ſuam perfectionem à cauſa, ſeù virtute inadæquata: & ſola virtus adæquata eſt, à qua effectus plenè, & abſolutè accipit ſuam perfectionem.

XLIV. Reſpond. Godoy, hoc argumentum probare hominem poſſe viribus naturæ ſe diſponere remotè, immo & proximè ad gratiam; nam eo ipſo, quod tota natura elicere nequeat ultimam diſpoſitionem ad gratiam, illa diſpoſitio eſt ſupernaturalis, & eo ipſo, quod tota natura elicere nequeat gratiam, hæc eſt ſupernaturalis; ſed quamvis diſpoſitiones remotæ ad gratiam ſint conceptæ viribus ſolius naturæ, fieri poſſet, quod ultima diſpoſitio nequeat elici à ſola natura, immo quamvis hæc diſpoſitio poſſet elici à ſola natura, fieri poterat, quod eſſet requiſitus concurſus DEI ad gratiam, ut authoris ſupernaturalis; Ergo natura ſuis ſolis viribus poteſt ſe diſponere remotè, immo, & proximè ad gratiam. Oh quam mala

con-

consequentia: Debebat esse hypothetica, & est absoluta. Imprimis secunda pars minoris, ubi hoc dicitur secundum absurdum, terminos imbibit oppositos, cum enim ultima dispositio ut talis sit, cui certissimè debetur gratia, penitus repugnat, quod hæc sit supernaturalis, si illa sit entitativè naturalis, alioqui contrà supernaturalitatis conceptum supernaturale esset debitum naturali: tum deinde. Aliud est, quod absolutè, omnibúsque pensatis contingit; aliud, quod uno, vel altero duntaxat inspecto capite poterat contingere, ambæ istæ dispositiones positivæ nequeunt elici viribus solius naturæ propter invictas rationes Augustini adversus Pelagium, & maximè propter claras definitiones Tridentini: Undè absolutè omnibusquè pensatis utræquè istæ dispositiones sunt entitativè supernaturales, & oppositum nec quoad apparentiam infertur ex nostra ratione. Verumtamen attento, quòd contingeret, si dispositio proxima foret naturalis, jam dixi gratiam quoquè fore naturalem, item attento, quod contingeret si dispositiones remotæ positivæ forent naturales, dico subsistere adhuc posse supernaturalitatem dispositionis proximæ, quia hæc nullatenus esset debita illis. Sed memineris Aristotelis meritò impugnantis quemdam Melissum hoc axiomate. *Dato uno absurdo cætera accidunt*, de quo egi in Prodromo Disp. 1. num. 116.

XLV. Sed quid laborant isti authores in hypothesibus, & casibus conditionatis, quando utraquè hypothesis juxta omnes est falsa, utræquè enim dispositiones positivæ sunt supernaturales, quid indè contrà nos? Ex his omnibus habes gravissimam esse hanc quæstionem, tametsi multum intermisceri soleat de modo loquendi: Alludit namquè ad gravem difficultatem cum Lutheri, & sequacibus controversam, & ab Ecclesia definitam, an nimirum in negotio salutis æterno homo se habeat merè passivè, seù potius verè, & simpliciter se convertat ad DEUM, agat pœnitentiam, mereatur vitam æternam, non quidem solus, sed præventus, adjutus, & confortatus per gratiam liberaliter donatam à DEO intuitu meritorum Christi, ita ut non sola gratia sit, quæ agit conversionem, sicut sola frigiditas aquæ est, quæ producit frigiditatem in manu immersa, sed etiam ipse homo, id est sua voluntas, verè, & simpliciter operetur bonum, verè, & simpliciter, & non tantum verbaliter declinet à malo. Nos dicimus, quod nisi habeat sibi congenitam aliquam virtutem partialem quidem insufficientem se sola, & inadæquatam ad operandum negotium suæ salutis, se habebit in hoc negotio; sicut aqua, in qua est frigiditas, refrigerat, id est se habebit merè denominativè; Hoc autem minimè negabant illi homines, quiâ non negabant gratiam, quæ est in homine operari negotium salutis, ut constat ex tota ipsorum doctrina, & maximè ex illa acri disputatione habita Lypsiæ inter Echium, & Lutherum simul cum Carolostadio.

CAPUT VI.
Multæ Objectiones.

XLVI. Illustriss. Episcopus Godoy multa voluit argumenta pro sua sententia. Primo S. Thomas qu. unica de charitate Articulo 1. in Corp. refellens opinionem Magistri Petri ajentis, voluntatem mediante Spiritu S. absque forma intrinsecè inhærente DEUM diligere, inquit; oportere, quod actiones voluntariæ à principio intrinseco procedant, alioquin contradictoria sequerentur, & subdit. Actus igitur, qui excedit totam facultatem naturæ humanæ non potest esse homini voluntarius, nisi superaddatur naturæ humanæ aliquid intrinsecum voluntatem perficiens, ut talis actus à principio intrinseco proveniat; atqui semel dato voluntatem gaudere virtute partiali ad actum supernaturalem, non implicat eum actum procedere à voluntate absquè principio intrinseco elevante, quandoquidem in ea hypothesi valet hæc consequentia. Voluntas est potens ratione sui partialiter proximè elicere actum charitatis; Ergò potest de potentia absoluta illum elicere sine forma intrinsecè inhærente; Ergo juxta mentem D. Thomæ repugnat voluntatem habere ex se virtutem proximam adhuc inadæquatam ad actum supernaturalem charitatis.

XLVII.